

11

G L O G A W
D V C A T V S.

Limites.



Logaw, celeberrimus inferioris Silesiæ Ducatus, habet ad orientem Poloniae regnum, circum Guraviensem, & Wolaviensem Ducatum; ad meridiem clauditur Bolcovicensi & Sprottaviensi circulis; ad occidentem illi sunt circuli Freystadensis & Grunbergensis; porro ad Septentrionem terminatur Dominio Beuthen, & Polonia.

Nomen.

Glogaw ita dicta est Lingua Slavonica, quod non longe à loco sepibus & dumetis referto sita sit. Posita est ad Viadrum amœnissimo prospectu. Totius autem principatus tractus, ab utraque Oderæ ripa protensus, frugibus quam maxime abundat, & multis locupletibus fulget pagis. Incolæ perindustrii sunt, operam stivæ & mercaturæ navantes. Nobilitas tanta est, ut tota regio nobilium arcibus passim ornatur.

Dividitur Ducatus hinc in Circulos, quos Silesii *Weichbildt* vocant. Hi octo sunt: *Glogoviensis*, *Swibustiensis*, *Guraviensis*, *Bolcoviensis*, *Sprottaviensis*, *Beuthensis*, *Freystadensis*, & *Grunbergensis*.

Circulus Glogoviensis.

In circulo Glogoviensi primaria civitas, quæ Ducatui nomen dedit, est *Glogovia*. Quo tempore hæc fundata sit, nomenque *Slavan Polacre* obtinuerit, incertum, Historicorum defectu: quorum antiquissimi, qui Glogoviæ servantur, scripsere anno 1285. Historia vero Polonica meminit ejus anno Christi 1104, ubi ait ducem Boleslaum Crispum Glogoviæ militem conscripsisse, ad Pomeranos invadendum. Verisimile est, Glogoviam & Vratislaviam, eodem tempore, sub rege Miceslao, conditas, cum Episcopi Gedefredi, aliorumque consilio, multæ in Polonia civitates, ædes, ecclesiæque construebantur.

Sunt qui sentiant oppidum hoc in adverfa Oderæ ripa fuisse, & à Boleslao Crispo ad hanc fertiliorem & amœniorem translatum, ejusque pomœria, ob civium multitudinem, latius extensa, in eoque, suadente Episcopo Haymone, primam Ecclesiam erexisse, Diœcesique Vratislaviensi subjecisse. Anno 1260 transposuit Dux Glogoviensis Conradus oppidi hujus ecclesiam ad flumen Oderam, ubi hodieque cernitur, atque in ejusdem ecclesiæ fundo arcem struxit.

Cives indies magis magisque ædificia sua ex præscripto Architecturæ exstruunt & ornant, quamvis maximâ ex parte lignea. Sarmatæ ve-

Germania.

teres & Poloni, parvi hanc artem faciébant. Præcipuus ejus ornatus est templum suburbii, situm in loco aspectui grato, fluvio irrigato, arboribusque frugiferis ad normam plantatis, hortisque voluptuariis cincto.

Extenditur civitas in longum ab Austro ad Septentrionem instar ovi. Duo hic olim erant castella, unum ad Meridiem, quod dirutum, ejusque loco jam porta est, qua in oppidum itur. Alterum ad Oderam, in parte Occidentali, forma antiqua, Ducum quondam habitaculum. Videre hic etiam est formidabilem illam turrim, in qua, jussu I oannis ducis, Magistratus fame interiit.

Templum Cathedrale ad Austrum est, cum turri sublimi, cui Silesia parem non habet. Tria etiam sunt hic monasteria, Virginum sacrarum unum, alterum Franciscanorum, quod nunc Bernardini possident, tertium Dominicanorum.

Princeps hic instinctu conjugis suæ Salomes à Posen, mulieris piæ & prudentis, multa fecit præclara. Inter alia condidit cœnobium fratrum Prædicatorum in parte civitatis occidua, quam partem etiam extendit. Purgavit insuper locum ubi fontes puniebantur, quem ædificando Virginum Deo dicatarum monasterio designavit, quod filius ejus Henricus III, Dux Glogoviensis, post mortem prædictæ Reginæ exstruxit. Tanta erat feminæ hujus pietas, ut Reges & Ecclesiastici eam ut Sanctam habuerint & coluerint.

Civitatis hujus diameter seu latitudo passuum est quingentorum, circuitus sexcentorum viginti quinque. Non longe distat à Vratislavia, estque reconditorium tritici aliarumque mercium, & exterarum gentium velut penuarium. Eam Sueci nuper occuparunt.

Ær sanior hic est quàm Vratislaviæ, nec facile corrumpitur ob loci situm, Alpes enim præcludunt viam ventis pestiferis ab Austro flantibus, Aquilo rectâ civitatem intrat perflatque, purgans omne quod aërem posset corrumpere, qui, licet acer & mordax sit, temperatur tamen exhalationibus ex Odera ascendentibus, ita ut hic tractus non ita morbis pateat ut alii.

In Circulo Swibustiensis oppidum *Swibussen* est. Pagi, *Stentsch*, *Moschten*, *Scharmse*, *Ogerschutz*, aliique. Arces, *Liebenaw*, & *Muhblock*. Monasteria, *Obewitz*, & *Schonfeld*. Nobilium prætoria, *Wutten*, *Koppen*, *Blanckenfeld*, & alia.

Circulus Guraviensis habet oppidum ejusdem nominis *Guraw*. Arcem *Seitsch*. Monasteria, *Munchebrauna*, *Weschke*, & *Neugurt*. Prætoria nobilium, *Salerswitz*, *Schatz*, *Stroppen*, plurimaq; alia. Pagos, *Tribusch*, *Geischen*, *Gleinch*, *alt Guraw*, aliosq;

K

Circulus